



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

De statu religionis sub Carolo Martello. Cap. XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

CHRONICA

successit sanctus Erminus episcopus & abbas. Cuius cooperatores & coabbates numerantur sancti Abel, Vlgisus, & Amoluinus.

Ornauit tunc etiam sua sanctitate, & usque ad mortem exilij ærumna Altummontem Hannoniae monasterium, sanctus Ansbertus, episcopus Rothomagensis, cuius corpus Halidulphus abbas summo honore Fontanellam retulit, anno sexcentesimo nonagesimo quinto. Fontanellam vero sub Wandregisilo inchoatam B. Lambertus successor, qui Lugdunensi postea præfuit Ecclesiæ illustrem vitæ suæ sanctimonia reddidit.

De statu religionis sub Carolo Martello.

C A P. XIX.

Carolus Martellus, ex Alpaide filius Pipini principis, paterni principatus hæres fit, anno septingentesimo decimo quarto: qui mortuus anno septingentesimo quadragesimo primo, filios suos Carolomanum & Pipinum, principatus sui successores reliquit.

Regnarunt tunc in Francia, Dagobertus secundus, Childeberti filius, usque ad annum septingentesimum vigesimum: Clotarius quartus, Theodorici filius, Clodouei & Childeberti frater, ac Dagoberti patruus, usque in annum septingentesimum vigesimum secundum: Chilpericus rex filius Childeberti, & Dagoberti frater usque in annum septingentesimum, vigesimum septimum: Theodoricus secundus filius Dagoberti, usque in annum septingentesimum quadragesimum secundum.

Carolus vero Martellus bellicosissimus princeps, & merito rex regum appellatus, imperare regibus maluit, quam rex esse. Saxones vicit, Alamannos

Iemannos & Sueuos subiecit, Burgundos domuit,
 Aquitaniæ magnam partem suis opibus adiecit,
 Poponem Frisiæ ducem cœcidit, gentemque sibi
 plenè subiugauit. Maxime verò est memorabi-
 le, quod contra Saracenos fuerit religionis acerri-
 mus vindex, & Gallorum fortissimus propugna-
 tor. Saraceni deuastauerant iam Vasconiam, Bur-
 degalam, Engolismum, Santones, Pictones, &
 ecclesias Dei concremauerant: videbanturque sta-
 tim tota Gallia potituri. Sed Carolus, Dei auxilio
 fretus, eis concurrit, & peremit Saracenorum
 trecenta septuaginta quinque (aut secundum a-
 lios, trecenta octoginta quinque millia,) ex suis
 tantum amittens mille quingentos. Qua victoria
 potitus, totas Gallias à Saracenis liberauit.

Grauiter autem offendit Dominum hic prin-
 ceps, durius tractans ecclesiasticos: Sanctum enim
 Rigobertum Rhemensem archiepiscopum in in-
 iustum exilium trusit, qui iusta de causa ei por-
 tam Rhemensem aperire recusauerat. Hic tamen
 ipsum baptizauerat, & apud parentem ipsius Pi-
 pinum, in summo honore fuerat: qui ei etiam
 donauerat curtem siue curiam Gremacam. Simili-
 ter sanctum Eucherium, episcopum Aurelianensem
 in exilium misit, cum omnibus propinquis,
 primùm Coloniam, deinde in Hasbaniam, ubi
 sexto exilij anno obiit, multis miraculis gloriosus.
 Causa autem exilij erat, quia Carolum liberè re-
 prehenderat, de conuersis in stipendium militare
 ecclesiae decimis; quodque eundem valida manu,
 quam in Saracenos ducebat, Aureliam intrare
 volentem, metu nè quid ciuibus suis iniuriæ ex
 militari licentia obueniret, virbe exclusit. Misit e-
 tiam in exilium Cælestinum abbatem Blandini-

Gernicourt.

C H R O N I C A

ensem, qui in Rothnacensi monasterio obiit. Ad eius quoque principis tempora verissimilimè refertur cædes S. Agilophi ex abbatte Malmundarij, Coloniensis episcopi, quem Saxones martyrio coronarunt.

Claruerunt & alij : S. Siluinus episcopus Alciaci moritur apud Morinos, anno 515. Sanctus Hadulphus episcopus Cameraci residet, cuius pater fuisse fertur S. Ragnulfus martyr. S. Amalberga virgo in Belisha & Temseca claret, cui os brachij fregit Martellus, volens sibi eam in sponsam rapere: hæc annosa obiit circa annum septingentesimum septuagesimum secundum. Sanctus Erkenbodo episcopus Morinensis, & abbas ad S. Bertinum, obiit anno 734.

Sanctus Hubertus sanctissimus episcopus Leodiensis, moritur anno septingentesimo trigesimo quinto, cui succedit S. Floribertus. Sanctus Erminus, episcopus, & abbas Lobiensis, obiit eodem anno, cui succedit S. Theodulphus. Sanctus Badilo abbas Luthosanus Vizeliacum transtulit ossa S. Magdalenaæ.

Pipini regnum.

C A P . x x .

Pipinus rex, tertius eo nomine Brabantæ dux, & Antwerpiensis limitis Marchio, Carolo Martello, patri mortuo hæres succedit, anno septingentesimo quadragesimo primo, cum fratre Carolomanno. Hic anno quadragesimo sexto à Zacharia papa in monachum attonsus est. Pipinus vero anno septingentesimo quinquagesimo, submoto Childerico rege, postquā annis nouem regnasset, auctoritate Apostolica Zachariæ pontificis,